Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2247
Quelle:
Copyright:

ſolitos (corrupte pro Γνωθι σεαυτον, Noſce te ipſum) *quem compilauit Venerabilis magiſter arnoldus* (Gheiloven) *de rotterdam in hollandia. decretorum doctor. canonicus regularis monaſterii viridiſuallis. Cameracen. dioc. Continet vero prima pars rubricas ſedecim. Porro diuiduntur rubrice per capitula. que ulterius ſuas continent queſtiones.* Subnotatur: Sextam Rubricam haberi in principio alterius libri, qui ſecundam totius operis partem continet. Titulum excipit *Index* Alphabeticus, *Indicem Praefatio* hujus tenoris: *Honeſtis fidelibus ac diſcretis viris Waltero de Bulch. Wilhelmo de druempt, ac Johanni dancels Secretariis ſcribis ac clericis Bruccellenſis notabilioris pulcrioris ac dicioris oppidi tocius ducatus Brabancie Veſter Arnoldus de hollandia de Rotterdam, decretorum doctor minimus, intempeſtiuus et ante meritum profeſſus in monaſterio viridiſuallis. Canonicorum regularium ordinis ſancti auguſtini in Zonne* (Zonia) *Silua. Cameracen. dyoceſis Salutem in patria et in uia ſalutaribus ſemper exercicijs occupari. Cum enim diuerſis negociis et circa plurima rem publicam tangencia occupati ſitis* &c. *Praefationi* ſubjectus eſt Elenchus *Rubricarum*, quarum I. tractat Septem Peccata Mortalia, II. Decalogum, III. Conſilia Evangelica, IV. Quinque Senſus, V. Symbolum Fidei, VI. de Sacramentis, ut ſupra dictum, omittitur, VII. Octo Beatitudines, VIII. Septem Dona S. Spiritus, IX. Duodecim ejus Fructus, X. Opera Miſericordiae Corporalia, XI. Opera Miſericordiae Spiritualia, XII. Tres Virtutes Theologicas, XIII. Quatuor Virtutes Cardinales, XIV. Novem Peccata aliena, XV. Peccata in Spiritum S. XVI. Peccata clamantia ad Deum. Dein Opus ipſum inchoat: *Queritur vero primo quotuplex eſt lex. Sciendum quod ad cognoſcendum ordinem legum a principio humani generis* &c. Pars illius *altera*, quae nobis deeſt, ut apud *Oudinum* T. III. *col.* 2298. video, praeter *Rubricam de Sacramentis* illuc translatam aliis XV. *Rubricis de Excommunicatione et aliis Cenſuris* agit. Praeter titulum ſupra relatum fertur etiam nomine *Speculi Conſcientiae*, pluriesque jam Sec. quo ſcriptum eſt, typis excuſum memoratur, puta *Bruxellis* 1476. 1479. alibi 1490. quin etiam *ſ. l.* et *a.* De pio Autore, qui a. 1442. naturae debitum perſolvit, praeter *Oudinum cit.* adi *Foppenii Biblioth. Belg.* T. I. p. 102. *Codex* noſter olim *ad Fratres Sancte Crucis in Colonia* pertinuit, penes quos fortaſſis *Pars altera* remanſit. Vide et Cod. CCLXI.

DXC.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 233. 4. currente calamo perſcriptus ſequentem complectitur Farraginem: I. *Opuſculum de Cognitione ſui ipſius*, tacito Autoris nomine, quod incipit: *Beatus homo quem tu erudieris* 443